



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 40. Nonnulli Scriptores e Societate hoc anno defuncti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](#)

Sæc. XVII. *Sacræ Scripturæ*, tractatum de indulgen.
A.C. 1608. tiis, aliosque plurimos tractatus Ga-
lice conscriptos.

§. XL.

Nonnulli Scriptores e Societate ho-
anno defuncti.

*Aleganibe
Bibl. Soc.
Hist. Congr.
l. 5. sett. 3.
cap. 8.
Hist. Con-
trovers. l. 1.
cap. 14. P.
Lavin. Maier
S. D.*

Plures quoque ex Societatis Scriptori-
bus Ecclesiasticis hoc anno dece-
sisse reperimus, quos inter haud infames
est Ferdinandus Rebellus patria Lusita-
nus ex oppido Prato, qui in Academia
Eborense Philosophiam & Theologiam
professus, ac octennio Cancellarius, nec-
nen Portuensis Collegii Rector exstitit,
& vastissimum opus de obligationibus ju-
sticie, Religionis & charitatis conscriptum,
eius tamen prima duataxat pars de
justitia, quo fato nescimus, prodiit. De-
cessit Eboræ die vigesima Novembris
anno ætatis suæ sexagesimo primo. Al-
ter est Henricus Henriquez ejusdem
cum Rebello nationis ac patriæ. His
quondam Francisci Suaresii Magister in-
genii sui libertatem in obsequium Mo-
linisticæ opinionis captivare nescius, jussu
supremi Hispaniarum fidei Censoris an-
no Christi millesimo quingentesimo nona-
gesimo quarto ac tertio post anno ju-
bente Clemente VIII. Pontifice hanc
sententiam acri censura perstrinxit, ac

Theo-

Theologizæ Moralis summam conscripsit, Sæc. XVII.
cum vero secundum illius tomum prælo A. C. 1608.
subjicere cœpisset, a Claudio Aquaviva
Præposito Generali supersedere ac Ro-
mam venire jussus est, eo autem iter
novis semper obtentibus eludente, pri-
mum inclusus, fideque Satellitio cin-
ctus Romam properare coactus est, ubi
a Societate dimissus exeunte anno mil-
lesimo quingentesimo nonagesimo sexto
ad Patrum Prædicatorum Ordinem tran-
fuit, quamvis postea denuo ad pristinum
Societatis institutum reversus sit. Præ-
fata summa tribus tomis comprehensa
plures complectitur tractatus Theologi-
cos, in quorum uno *de fine hominis* præ-
cipue Molinæ doctrinam impugnat. Die
insuper septima Augusti anno a partu
Virginis millesimo sexcentesimo ter-
tio Romæ prohibita est hæc summa
moralis, donec corrigatur. Afferit Ale-
gambe eam anno Christi millesimo
sexcentesimo Venetiis *correctius* jam-
jam fuisse typis editam, unde patet, il-
lam ne hodie dum quidem fuisse sat e-
mendatam. Obiit Henricus Tibure die vi-
gesima Januarii. Magni quoque inter
suos nominis erat Paulus Hoffæus na-
tione Germanus, de quo Albertum Ba-
variæ Ducem illud edixisse narrant:
*Petrus Canisius, & Paulus Hoffæus ipsi
nos docuerunt legem tuam Domine:* Hic
idem

Sæc. XVII. idem Catechismum Romanum Germanum
A. C. 1608. nice reddidit, & libellum *de communione sub una tantum specie* edidit, præter librum, quo Smidelinum & Spangebergium, qui ambo contra ipsum quosdam tractatus ediderunt, confutavit. Vt functus est Hoffæus Ingolstadii die decima septima Decembbris annos natus fere octoginta quinque. Huic accensimus Christophorum Gillium seu Egidium Lusitanum, qui libros undecim Lugduni typis edidit *de Sacra doctrina, Essentia & virtute Dei.* Excessit et vita Conimbricæ die septima Januarii anno ætatis suæ quinquagesimo septimo. Hunc eodem fato secutus est die vigesima secunda Septembbris Salmanticæ mortuus Petrus Arrubal, cuius posthum erant tomii duo in primam partem Divi Thomæ. Præterea die vigesima secunda Maji Romæ obiit Joannes Baptista Villapandus, qui Hieronymo Prato in Ezechiele illustrando & in Templo Salomonis describendo mutuas operas locavit.

§. XLI.

Gregorii Servantii & Sebastiani Bravi obitus.

Echard Script. Ord. Præd. t. 2. Præter Galaminium, Alphonsum Magdal, pluresque alios Ordinis Fratrum Prædicatorum Scriptores hoc anno dena-

*Miræus
Bibl. Script.
Sæc. XVII.*